


**Bartholomaei Leonhardi Svendendoerfferi, Antecessoris Lipsiensis, Dissertatio  
Ivridica, De Exceptione Non Nvmeratae Pecvniae, Vulgo: Von der Ausflucht des  
nicht empfangenen Geldes**

Rec., lenae: Rec. Litteris Ritterianis, 1745

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn178343774X>

Druck Freier  Zugang





K. K — 2 (28.)

- 1) Schorckius de auctoritate hypothecae ab custode ante refixas. dominii in re emta aucto  
de cali immobili confirmabatur. cum progr.
- 2) - - - de quæst. an petitiorum loco possessori finiti, etiam in causa quo inde  
possessori finiti finis reus est, moneri debeat? cum progr.
- 3) - - - de appellat. effectu loci suffici. quam devolutio. cum progr.
- 4) Schraeder de sentent. confirmatione.
- 5) - - - de nominis proprii expressione.
- 6) Schubartius de confirmatione partium.
- 7) Schwenner de iure domum.
- 8) Seelby de revis. actionum propter alienas P. I. 7.
- 9) Sonnenberg de probat. intentione in iudicio.
- 10) Sibeth de alienat. omnibus minorum validæ atq; invalidæ.
- 11) Brecker de iure mulierum quibus expressa hypotheca a manu confirmata est.
- 12) Vendenhoff de except. N. N. P.
- 13) Thorndius de praefumis furoris atq; dementiae.
- 14) - - - de pretio effect. in res fugitibiles non cadente.
- 15) - - - quæst. an promissor facti libertas praefando id quod interest.
- 16) T. C. M. de eo, quod iustus est circa auditum.
- 17) Wagner de directio et concordia coniugalium separatis.
- 18) Werner de eo, quod in pio causa impium est.
- 19) Wildenbach de pecunia suorum beneficiæ, non succumbenz-Goldern.
- 20) - - - de positione ultima, non dum latetum dat.
- 21) - - - diuiremento actus puberum confirmatione.
- 22) - - - de clausula formulae istatius inter solite: usque tempore matutina.
- 23) - - - de divisione parentum inter liberos, non vobis in fratribus.
- 24) Wunderlich de eo, quod iustus est circa eum, qui propte se afferat in iure.
- 25) Zoller de remuneratione hereditatis a filia in rato facta ab enormem iugio  
non respondeat.
- 26) Zollius de except. N. N. P.



BARTHOLOMAEI LEONHARDI  
SVENDENDOERFFERI,  
ANTECESSORIS LIPSIENSIS,

12

DISSERTATIO IVRIDICA,  
DE

EXCEPTIONE  
NON NUMERATAE  
PECVNIAE,

VVLGO:

Bon der Aussflucht des nicht  
empfangenen Geldes.



IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS,  
AN. MDCC XXXV.

166

BARTHOLOMEI NIOMIANI  
SANTO DOLERE  
ANTECIPARE

DIES AESTATE D I A R I O  
EX POSITIONE  
NON NUMERATAE  
REGANIÆ

1600  
1600  
1600  
1600

1600  
1600



## PROOEMIVM.



XCEPTIONVM aliæ et sunt  
Peremtoriae et Perpetuae,  
aliæ Dilatoriae & Tempora-  
les, §. 7. *Inst. de except. l. 3. ff.*  
*eod.* Ex illarum numero &  
Excep<sup>tio</sup> non numeratae pe-  
cuniæ habetur, §. 2. *Inst. d. t.* qua de hic Dis-  
sertationem facere, nec non Theses aliquot  
levi ac simplici stylo conscribere constitui-  
mus. Cum autem difficile sit, ut bono per-  
agantur exitu, quæ malo sunt inchoata prin-  
cipio, *c. principatus 25. quæst. l. c. 1.* Exemplo  
Sacratissimi nostri Imperatoris invocamus  
Deum Opt. Max. qui omnium legislationum  
principium, medium & terminus est, *Nov. 109.*  
*pr.* ut nobis in omnibus, maxime vero in his  
laboribus suo auxilio adesse velit.

A 2

§. I. NE

**N**e autem prolixioribus utar ambagibus, rem ipsam aggrediar, ac statim ejus Definitionem explanabo. Definitur vero Exceptio non numeratæ pecuniæ, quod sit Exceptio civilis peremptoria, contra eum, qui ex scripta confessione de pecuniæ numeratione facta agit, confitenti competens, *pr. Inst. de lit. Oblig. §. 2. Inst. de Except. l. 14. C. de non numerat. pecun.*

## §. II.

Et hæc licet ex LL. nascatur, nititur tamen ea æquitate, qua reliquæ Exceptiones, *§. 2. ibi: sed quia iniquum est. J. de except. Zanger. de Except. P. 3. cap. 14. num. 1.* Cum enim in Republica subinde fieri soleat, ut tam Debitores, quam Creditores pecunia summopere indigentes, Creditores & Debitores adeant, iisque, quo magis ad solendum allicant, ante numerationem Cautiōnem offerant, unde indubie nascitur Obligatio, *§. un. J. de lit. Obl. t. t. C. de non num. pec.* et iniquum quodammodo videatur, ut qui nihil accepit, quasi accepisset, ex cautione teneretur, optimo jure obtinuit, ut de pecunia

cunia non numerata intra certum tempus  
excipere liceret, Perez. ad Cod. tit. de non nu-  
merat. pec. num. 3. Schneid. ad tit. de lit. Oblig.  
num. 2. & seqq. Brunnem. in C. d. t. in L. 3. num. 6.  
qui ex consuetudine Creditorum sine præhi-  
bita confessione nihil credentium, & Debi-  
torum liberaliter quidvis in favorem Credi-  
torum confitentium, hanc juris dispositio-  
nem fluxisse videri, autumat.

### §. III.

Exceptio non numerata pecuniæ est du-  
plex, alia Debitoris, alia Creditoris, l. 14. C.  
de non num. pec. Debitori datur, qui cavit se  
accepisse mutuam pecuniam, licet dederit  
pignus, l. 1. C. de non num. pecun. l. 1. C. si pign.  
convent. num. pec. sec. Mascard. de probat. concl. 361.  
num. 25. Et Creditori, licet dederit Apo-  
cham, l. 14. §. 2. C. de non num. pec. Neque  
solum Reo principali, verum & ejus fidejus-  
fori exemplo Rei principalis, ut diserte loqui-  
tur Imp. in l. 12. C. d. t. competit, item Credi-  
tori Debitoris, tum ratione actionis hypo-  
thecariæ, qua is a primo, cui sub spe subse-  
quunturæ pecuniæ ædes obligatæ convenitur,  
l. 15. C. d. t. Hillig. ad Donell. lib. 14. cap. 37. lit. f.

A 3

quod

quod etiam in casu, ubi ipse Debitor actione pulsatur, procedit, ut Creditores intervenire, & opponendo hanc exceptionem ob suum interesse sese interponere possint, *Castr. ad d. l.* tum respectu Apochæ, in qua solutionem factam est confessus, *l. 14. §. 2. C. h. t.* *Zang. de except. P. 3. c. 14. num. 3.* ubi quatuor annexit Exceptiones. Nec non hæredi, quia rei cohæret, *Zaf. ad ff. tit. de O. & A. num. 27.* ita tamen, ut si defunctus intra definitum tempus nulla querimonia usus, residuum tempus hæres ejus habeat, *Zang. a. l. num. 48.* etiam si sit pupillus, *l. 8. C. h. t. in fin.* Sin autem questus est, hæredi & adversus hæredem perpetuo competit, *d. l. 8. ibique Brunnem.* Marito itidem ob dotem non numeratam tribuendam esse aperte constat ex *d. t. C. de tot. caut. non num.* Imo omnibus istis danda est hæc Exceptio, qui per consequiam obligantur, & quorum interest *Mascard. de prob. concl. 361. num. 31.* Expromissor vero licet alienam obligationem suscipiat, ab hac exceptione excluditur, *l. 6. C. C. t.* modo pro eo, qui efficaciter obligatus erat, expromiserit. Nam si ejus principiis nihil debeat ita ut Exceptionem non numerat.

meratae pecuniae opponere potuerit, non est rationis quare huic magis denegetur exceptio quam fidejussori aut Mandatori, cum exigat ab eo Creditor, quod non numeravit,  
*Gl. in d. l. 6. ibique Brunnem. Zæf. ad ff. tit. de O. & A. num. 18.*

#### §. IV.

Competit tum adversus Debitorem, tum adversus Creditorem, eorumque hæredes, prout alterutri conveniens est; Inter Mercatores an locum habeat, controvertitur? Negativam apprehendit *Carpz. Lib. 2. Resp. 92. num. 15. & in Jurisprud. forensi P. 1. C. 32. D. 69.* Affirmativa autem a *Fachin. Lib. 2. controv. 86.* cuius sententiam per ea, quæ habet *Brunnem. in l. 5. C. b. t. in fin. amplectimur.*

#### §. V.

Locum habet in causa Mutui. Ratio assertur, quia hic frequentius sub spe subsequituræ pecuniae Debitores cautionem emittere solent. Quod ampliatur, ut procedat etiamsi partem duntaxat acceperint, *l. 2. C. b. t. ibique Brunnem.* ubi debitorem totam summam accepisse, Creditorem probare oportere docet. Quæ de Mutuo affirmamus, eadem

eadem ex itenditate rationis ad Dotem Dd. extendunt. Quam enim affectionem debitores habent ad consequendam pecuniam, eandem & sponso, ut potiatur sponsa, inesse dicunt *Schneid. ad tit. f. de Lit. Obl. n. 15. l. 3. C. de dot. caut. non num. Nov. 100. cap. 1.* Excluduntur inde transactio, *l. 11. C. b. t. Delegatio, l. 6. eod.* Locatio Conductio, Depositum & similes causæ, in quibus confessio statim præjudicat, & contra scribentem probat, *l. 26. §. fin. ff. depositi. l. 14. §. 1. l. 13. C. de non num. pec.* ubi Imperator elegantem subjicit rationem: Nimis enim indignum esse judicamus, quod quisque sua voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. In his itaque tam diu statur confessioni, donec evidentissimis argumentis rem aliter gestam esse probet is, qui cautionem scripsit, *l. 25. §. fin. ff. de probat. Carpz. P. 1. C. 32. D. 68. & L. 2. Resp. 90. num. 3. & 4.*

### §. VI.

Opponi potest cuivis Instrumento etiam Gvarentigiato, de quo tamen inter Dd. Juris Saxonici multum hactenus disceptatum, *Finckelthus. in Obs. pract. 119.* simpliciter negat *Carpz.*

*Carpz. e contra in Lib. 2. Resp. 89.* eidem contradicit, dum & hodie contra Instrumentum liquidum & confessatum valide opponi posse attestatur, subjuncta restrictione de ea in continent probanda. Quod apprehendere non dubitamus. Si enim aliæ præter Solutio-  
nis & Compensationis notoriæ & in continent liquidabiles Exceptiones Executionem im-  
pedire valent. *Resol. grav. de Ann. 1661. tit. von Justitien-Sachen.* §. Wann nemlich zum andern &c.  
& §. seq. *Decis. Elect. 2.* cur non idem de Ex-  
ceptione non numeratæ pecuniæ, præsertim ob eandem æquitatis rationem dicamus?  
Quin & post biennium eodem modo locum habere testatur idem *d.l. Def. 67.* Longe ali-  
ter se res habet in literis Cambii, ubi ex-  
ceptionem hanc non competere afferendum est. *Joh. Mart. Voigt tract. de camb. th. 7. lit. e.*  
*p. m. 110. & seqq. Carpz. L. 2. Resp. 92.*

### §. VII.

Forma consistit in ipsa intra certum tem-  
pus facta oppositione & mota querela. Non  
tantum enim aliarum exceptionum habet  
naturam, sed & instar actionis potest propo-  
ni, si Creditor intra definitum temporis spa-  
tium

B

tium ex literis agere cessaverit. Id quod in favorem Debitoris, ne actoris mora privilegiatae Exceptioni præjudicet, introductum, *l. 14. §. fin. C. d. t. ibique Brunnem.* Denunciatio tamen non nudis verbis, sed in scriptis expedienda, ut possit scilicet alter diligentius liberare, quid sibi faciendum, *Brunnem. eod. l.* & quia scriptum scripto plerumque refelli debet, *Perez. ad d. t. n. 12.* si præsens sit Creditor, si absit, aut propter potentiam vi denunciari nequeat, apud judicem ordinarium fieri debet. Utriusque formulam exhibit *Excell. Dn. Præses in notat. ad Process. Fibigii §. 9. ad verb. Experientes de spolio non debere.*

### §. VIII.

Notanter dixi intra certum tempus. Quod varium est. Olim quinquennale fuit, hodie in biennium continuum est mutatum, *l. 14. §. 1. C. d. t.* ex ratione, ne Creditores diutius possint suis pecuniis defraudari. *§. un. J. de Lit. Obl. §. 2. J. de except.* Quo tempore durante si opposita fuerit non numeratae pecuniæ Exceptio, onus probandi rejicit in Creditorem, quod hic speciale esse, patet *ex l. i. ff. de except. l. 19. pr. ff. de probat.* unde multis dicitur Privilegiata. Sed si ex injuria biennium Debitor præter-

præterlabi passus fuerit, an adhuc eidem locus fit, inter Dd. valde controvertitur? Sane communis est Interpretum opinio, elapso biennio Exceptionem hanc nullatenus competere, etiam si Debitor onus probandi in se recipere paratus sit, nisi obligationi literarum nullum effectum tribuere, vel ex re, non ex literis, obligationem nasci, aut textuum generalitatem nimis restringere velimus. Ita sentiunt *Donellus* lib. 4. cap. 38. *ibique Hillig. Zanger. de except. P. 3. cap. 14. n. 56. & seqq. Hunn. Resol. jur. civ. lib. 3. tract. 6. q. 2. Bacchov. ad Treutl. disp. 20. th. 2. lit. c. Vinnius ad tit. de lit. obl. n. 8. & seqq. Riemer. Dec. 10. qu. 8. Franzk. Exerc. 10. qu. 10. Hartm. Pistor. lib. 4. qu. 12. Roberus disput. Inst. 16. corol. 2.* Ast horum rationes tanti esse non videntur, ut a contraria sententia, quæ æquitatem in se habet, recedamus. Quid enim magis æquum ac juri consentaneum esse poterit, ac si Exceptionem nostram ad cæterarum instar perpetuam esse contendamus, *arg. l. 5. §. ult. ff. de dol. mal. except.* Idque eo magis, quod ejus privilegium in favorem Debitoris sit introductum, quod in ejus odium retorqueri non debet, ne alias quod una manu ei conceditur, altera vicissim destruatur. Nec

B 2

necessæ

necesse est, ut actio ipso jure competens per Exceptionem perpetuam infirmetur, *l. 112. ff.* *de R. J. Consentiunt nobiscum Perez. ad Cod. b. t. n. 15. 16. Schneid. ad tit. de lit. obl. num. 11. Bronch. cent. 2. assert. 22. Treutl. vol. 1. disp. 20. th. 2. lit. c. Ludwell. exerc. 12. th. fin.* Ad decidendam quæstionem distinguendum putamus inter Exceptionem Privilegiatam & non Privilegiatam, ut illa elapo extinguitur, *l. 10. C. de non num. pec.* Hæc vero naturam aliarum Exceptionum retineat, indeque perpetuo competit. *Ungepaur. Exerc. 11. th. 9. vide omnino Ludwell. in Comm. ad tit. de tit. obl. num. 5. in fin.* Dissidentium argumentis abunde satisfacientem. Et secundum prædicta in Facultate Witteb. die 9. Febr. 1627. pronunciatum fuisse refert *Schultz. Synops. Inst. tit. de lit. obl. lit. a.* simul notans, hoc casu pecuniam numeratam non esse Creditori ob fundatam ejus intentionem, juramentum deferri non posse, sed vel per testes idoneos, vel Instrumenta, vel indicia seu argumenta ad probationem indubitata, id probandum esse *per l. 14. §. 3. C. b. t. Zanger. d. l. n. 69. seqq.*

§. IX.  
Exceptionem privilegiatam biennio inclusam

clusam esse demonstravimus. Quod fallit  
tum in Minoribus, quibus ipso jure tempus  
non currit, *l. ult. C. in quib. caus. restit. in integ.*  
tum in Majoribus absentibus puta, quibus  
comparata est restitutio in integrum, *l. 14. C.*  
*b. t. ibique Brunnem. l. 1. in fin. ff. ex quib. caus. maj.*  
*Vinnius ad tit. de lit. obl. n. 11.* ut & in Credito-  
re, cui triginta dies sunt præstituti, *l. 14. §. 2.*  
*C. d. t.* Minus ergo tempus Creditori indulge-  
tur, quam Debitori, quia major favor est li-  
berationis, quam obligationis, *l. 47. ff. de obl.*  
& *act.* & quia majus periculum est in Debito-  
re, qui pecuniam se tanquam Debitorem ac-  
cepisse scribit, quam in Creditore, qui solu-  
tum sibi in Apocha fatetur, ideo merito ubi  
majus periculum est, magis subveniri debet,  
*Mascard. de probat. concl. 695. n. 2.* & ex eo *Zanger.*  
*d. l. n. 25.* & seqq. Quod tempus si elapsum  
fuerit, Creditor omnino confessioni suæ stare  
cogitur, etiamsi onus probandi, debitum sibi  
non esse solutum, in se recipere velit, id quod  
favore liberationis extra ordinem est consti-  
tutum, *l. 14. pr.* & *§. 2. C. de non num. pec.* De  
fidejussore vero Apocham Creditoris profe-  
rente quid sentiendum, tradit *Zanger. d. l. n. 34.*  
Nec non in Marito, quem intra annum, a

B 3

tem-

tempore finiti matrimonii computandum, de Dote non numerata excipere licere apparet *ex l. ult. C. de dot. caut. non num.* si ultra biennium non duraverit matrimonium. Quod si ultra istud, & quidem ad decem annos extendatur, intra tres menses erit opponenda. Sin autem decennium transierit, hic omnis exceptio denegatur, *Auth. quod locum C. h. t. Nov. 110. Fachin. lib. controvers. cap. 82. Perez. in Cod. tit. de dot. caut. non n. 2.*

## §. X.

In hæredibus occurrit speciale, ut si Debitor intra LL. definitum tempus decesserit, nullaque querimonia usus fuerit intra residuum tempus eadem exceptione uti possunt, *l. 8. C. de non num. pec.* puta a tempore dati chirographi post annum completum decessit defunctus, hæredi adhuc unus annus datur ad opponendam Exceptionem, isque annus vel vel residuum temporis continuum est, & currit non demum ab adita hæreditate, sed a die mortis defuncti, ex quo jus successionis ad hæredem delatum est, etiamsi non sit adita hæreditas, sicut etiam in persona defuncti continuo lapsu a die dati Chirographi, biennium illud decurrisset. Semel enim cœptum a de-

a defuncto tempus morte ejus non interrumpitur, sed in persona hæreditis progreditur, adeo ut & contra puerum & minorem id tempus currat, quanquam aduersus elapsum bienium detur restitutio in integrum, Zanger. de Except. P. 3. cap. 14. n. 49. & seqq. vide qq. ib. n. 3. supra.

### §. XI.

Effectus est ut ad instar Exceptionem peremptoriærum Actoris intentionem prorsus excludat, §. 9. J. de except. nec non si legitimo tempore opposita Debitorum ab onere probationis relevet, l. 14. C. b. t.

### §. XII.

Cessat prædicta Exceptio variis in casibus, ex quibus potiores sunt: (1.) Si Reus fidem cautionis agnoverit partem debet vel acceptando, vel usuras solvendo, l. 4. C. b. t. ibique Brunnemann, nisi sit hæres, qui justam errandi causam habet, l. 42. ff. de R. J. (2.) Si quis alterum vice sua delegavit, seu Expromissorem constituit, l. 6. C. d. t. vide sub. th. 3. in fine. (3.) Si debitum ex alio contractu in mutuum fuit redactum, Zanger. d. l. n. 43. rationem subjiciens, quod talis confessio habeatur pro vera numeratione, & pro Creditore præsumatur de causa præcedenti. (4.) In literis Cambii, vide sub. th. 6. in fine. (5.) In Creditore post triginta dies effluxos, l. 14. pr. & §. 2. C. d. t. (6.) Si biennium effluxum, quod tamen de privilegiata accipendum esse, ex sup. dictis apparet. (7.) Exactoribus Tributorum, Vectigalium, aliarumque publicarum functionum contra Apochas factæ, a collatoribus solutionis prorsus non datur, d. l. 14. §. 1. (8.) Denegatur item in Instrumento Depositionis certarum rerum, d. l. nec non (9) in Apochis,

quæ

quæ post confectionem dotalium Instrumentorum de soluta parte in solidum exponuntur, d. l.

§. XIII.

Sed an eidem renunciari possit, videndum? Sane unumquemque favori pro se introducto renunciari posse, appareret ex l. 15. C. de Episc. & Cler. & l. pec. C. de pac*t*. Quod tamen hic limitationem recipit, propterea, quod eadem facilitate, qua quis Chirographum emittit, renunciationem quoque perficiat. Nec distinguendum cum Covarruv. lib. 2. var. cap. 4. n. 3. utrum in continenti an ex intervallo renunciatum, quoniam utroque casu obtinet ratio adducta, ut proinde idem quoque jus sit statuendum, Perez in Cod. d. t. num. 19. communiter vero Dd. concludunt Renunciationem eundem habere effectum, quem habet lapsus biennii, nempe ut ea facta etiam intra biennium Debitor onere probandi gravetur, Mascard. de probat. vol. 2. concl. 695. n. 6. Porro notant, ut renunciatio firma sit, si iterata vel juramento confirmata fuerit. Quod posterius dubio non caret. Existimamus tamen juramentum hujus Exceptionis oppositionem impedire minime posse, idque vel maxime, quod deficiat non solum causa, sed & consensus, quo casu juramentum nihil operari expeditum est, Setferus de jurament. lib. 1. cap. 26. n. 12. seqq. Perez in Cod. d. t. n. 20. Brunnem. ad d. l. ult. C. d. t. inter juramentum affer- torium & promissorium accurate satis distinguens.

SOLI DEO GLORIA.











quæ post confectionem dotalium Instrumentorum de  
luta parte in solidum exponuntur, d. l.

### §. XIII.

Sed an eidem renunciari possit, videndum? Sane  
quemque favori pro se introducto renunciari pos-  
set ex l. 15. C. de Episc. & Cler. & l. pec. C. de paet.  
en hic limitationem recipit, propterea, quod  
litate, qua quis Chirographum emittit, re-  
quoque perficiat. Nec distinguendum  
lib. 2. var. cap. 4. n. 3. utrum in continen-  
ti a uo renunciatum, quoniam utroque casu  
obti statuer. etia, ut proinde idem quoque jus sit  
statuer. in Cod. d. t. num. 19. communiter vero  
Dd. con unciationem eundem habere effe-  
Etum, qu usus biennii, nempe ut ea facta  
etiam intra bitor onere probandi gravetur,  
Mascard. de p soncl. 695. n. 6. Porro notant,  
ut renunciatio iterata vel juramento con-  
firmata fuerit. usus dubio non caret. Existi-  
mamus tamen ju ujus Exceptionis opposi-  
tionem impedire n dque vel maxime, quod  
deficiat non solum c ensus, quo casu ju-  
ramentum nihil opera est, Setserus de jura-  
ment. lib. 1. cap. 26. n. 1. t. in Cod. d. t. n. 20.  
Brunnem. ad d. l. ult. C. a mentum affer-  
torium & promis te satis  
disting

SOLI DEO C

